



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 22. Quinqueecclesiensis Episcopi oratio pro concedendo Calisis usu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.

A C. 1462

„V. Calix solum illis concedatur
 „qui contriti, ac peccata confessi fu-
 „sent secundum Ecclesiæ ritum; in-
 „per Ordinarii summam diligentiam ad-
 „hibeant ad longe arcendum a calice
 „distributione hominem quemcunque
 „sacrilegum, aut profanum.

Ceterum altero articulo quære-
 tur, an hæc facultas esset Episcopis con-
 cedenda tamquam ab Apostolica Sede
 delegatis, quibus liceret id in suis Dio-
 cesibus committere Parochis cum con-
 ditionibus recensitis.

§. XXII.

*Quinqueecclesiensis Episcopi oratio pro
 concedendo Calicis usu.*

*Pallav. n. 5.
 Sarp p. 540.
 Et 541.*

Priusquam Patres in sequentibus con-
 gregationibus suas quisque senten-
 tias proferrent, Oratoribus Cæsaris mun-
 tiatum erat, quod nonnullis Patribus
 nimia hujus petitionis amplitudo di-
 spliceret, cum ea ad cunctas Imperii di-
 visiones extenderetur, ac proin Senensem
 quoque, aliasque plures Italiæ urbes
 præter varia Liburniæ, & Dalmatiæ lo-
 ca, ipsamque Tridentinam civitatem
 complecteretur, hinc necessarium fore
 censetur, ut hæc petitio ad solam Ger-
 maniam, atque Hungariam restringe-
 retur: porro pridie, antequam Patrum
 suffragia colligebantur, Quinqueeccle-
 siensis

siensis Episcopus sermonem habuit, in Sæcul. XVI.
A. C. 1562.
 quo memoravit officia, ac labores, quos
 Cæsar pro Reipublicæ christianæ, &
 Religionis Catholicæ puritati restituendæ
 bono non solum conscenso Imperii
 folio, sed vivente adhuc Carolo V. ejus
 fratre exantlavit: his dictis ita profe-
 quebatur idem Præsul: „Ferdinandus
 „Cæsar experientia edoctus animadver-
 „tit gravissimas populorum contentio-
 „nes, ac querimonias ab interdicto ca-
 „licis usu profectas: de hoc itaque ca-
 „pite, ut Concilium statuatur, idem po-
 „stulat: ego vero cum ceteris Oratori-
 „bus, Cæsareæ Majestatis jussu Patri-
 „bus hoc primum considerandum offe-
 „ro, an christianæ charitatis lex petat, ut
 „ad retinendam nimis strictam, ac fe-
 „veram unius ritus observationem, tam
 „multa sacrilegia, & cædes in nobilissi-
 „mis Cæsareæ Majestatis Provinciis non
 „prohibeantur, neque tam multæ animæ
 „ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redu-
 „cantur? minime vero suspicandi lo-
 „cus est, quod Cæsar jam Senex, ac bre-
 „vi ante divinum tribunal sistendus,
 „velit quidquam efflagitare, nisi quod
 „arbitratur ad Dei gloriam cessurum:
 „nec similiter in tantæ Prudentiæ Prin-
 „cipe, post tam diuturnam, intentam-
 „que regendi exercitationem, suspi-
 „canda est ignoratio illius, quod in suis
 R 5 „sub-

Sæcul. XVI „subditis ad animarum salutem con-
A C 1562. „ducere possit : porro non aliud peti
 „Cæsar, nisi id, quod licet per Eccle-
 „siæ dignitatem, pro qua vitam profus-
 „dere præsto est : interim Ecclesiæ mo-
 „rem esse noscit, in rebus arbitrariis, &
 „a Deo non præscriptis leges variare
 „pro conditionum varietate; & quidem
 „a Synodo Constantiensi usus Calicis
 „fuit prohibitus, sed postea idem ex parte
 „restitutus a sequenti Concilio; nec
 „ignorantur mutationes, quæ circa hunc
 „articulum sub Pio II. Paulo III. ac Ju-
 „lio III. factæ sunt: insuper fuit Græ-
 „cis indultus non modo usus calicis, sed
 „varii præterea ritus, ab Ecclesia latina
 „diversi, idque per summam pruden-
 „tiam factum exemplo Moysis, qui non-
 „nulla permisit populo suo Judaico pro-
 „pter duritiam cordis.

Hic Episcopi sermo nonnihil Patrum
 indignationem commovit, quæ tamen
 brevi per Cardinalem Mantuanum se-
 data fuit, cum hic illis exponeret, ita
 asserens : nondum res ad decidendi ne-
 cessitatem est delata, quamprimum au-
 tem vestræ sententiæ rogabuntur, suam
 exponere sententiam cuius liberum
 erit.